

vestas, ad quam omnes omnium virtutum actus collineare tenentur. Unde Cicero l. 3. de fin. ait. quicquid præter id, quod honestum sit, expetendum esse duxeris, inque bonis numeraveris, & honestum ipsum quasi virtutis lumen exstinxeris, & virtutem penitus verteris.

§. 20.

Expositâ per Definitionem ejusque resolutionem Prudentiæ essentiâ, ad ejus divisionem accingimur. Dividitur autem ea communiter in istam, quæ simpliciter talis est, & eam, quæ secundum quid talis est.

§. 21.

Prudentia simpliciter talis hæc dicitur, quâ homo sibi ipsi de consecutione summi boni prospicit. Quò tendunt vulgata ferme proverbia: caritas à seipsâ incipit: odi sapientem, qui sibi non sapit: illud semper memento, qui sibi ipsi sapiens esse nequit, nequaquam sapit: omnes sibi melius esse malunt, quàm alteri: tunica pallio prior: genu furâ propius. Hanc circa Prudentiam aureum illud Senecæ præceptum commendant, l. i. Benef. si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præterita cogita, præsentia ordina, futura provide. Nam qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit, qui nihil de futuris præmeditatur in omnia incautus incidit.

§. 22.

Prudentia secundum quid ordinatur ad homines in eadem societate viventes, & dicitur esse vel Politica, vel Oeconomica. Politica dicitur esse ea, quæ Reip. salutem querit: Oeconomicam dicunt, quâ homo rectè consulit & prospicit de iis, quæ familie sunt necessaria. In hæc Cato ad miraculum enituisse fertur. Uxorem enim, teste Plutarcho duxit, quæ magis antiquitate generis polluit, quàm divitiis; auctus filiole semper ipse adfuit, quâdo lavaretur infans & fasciis involveretur; filium ipse docuit literas; à verborum turpitudine præsentis puero sic temperavit, quasi virginibus Vestalibus arbitris locuturus esset; nec cum eò lavit unquam; ut in tuto fortunas suas collocaret, omnes paludes, lacus, aquas calidas, loca fullonibus apta, prædia, quæ pascua haberent, & sylvas nativas paravit, quibus ne ipse quidem